



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma Bvllarii Earvmve Svmmorvm Pontificvm
Constitvtionvm Qvae Ad Commvnem Ecclesiae Vsvm post
volumina Iuris Canonici, vsq[ue] ad Sanctissimum D. N.
D. Pavlvn Papam V. emanarunt**

Quaranta, Stefano

Venetiis, 1619

Widmung

urn:nbn:de:hbz:466:1-10793



ILLVSTRISSIMO

Et Reuerendissimo

D. OCTAVIO AQUAVIVÆ

S. R. E. CARD. AMPLISS.



*V*M multi iam anni sint (Cardinalis Amplissime) quibus mihi cum Stephano Quaranta, viro vitæ integritate, ac doctrina conspicuo, non leuis intercessit consuetudo; Cumque is in causis ecclesiasticis dydicandis domi, forisque, diu multumque versatus esset, & ob id maximam Apostolicarum Constitutionum, tum veterum, tum nouissimarum, adeptus esset cognitionem, videretque quantam utilitatem omnibus, & præcipuè Ecclesiasticis allaturus esset; si eas in vnum redactas, Summistarum more colligeret; atque ita eas ex immenso penè Bullarij Oceano liberatas, paruula hac rate ad tutum, tranquillumq; cognitionis portum perduceret, hisce ipse stimulis concitatus, nempe publica utilitatis, confecit hanc Summulam ad totius Pontificij iuris Constitutionumq; nouissimarum scientiam illustrandam, accommodatam. Quæ in re, me qui eo doctore vsus plurimum profeci, voluit studiorum socium adhibere atque calcaria, vt ita dicam, addendo, effecit, vt has additiones persicerem; quas, qualescunq; illæ sint, tibi

A 2 dicandas

dicandas esse una cum opere destinavi, magnum inde fulgorem consequuturas, si illustratae tui nominis gloria ederentur. Hoc ipsum, ut facerem, auctor tui amanti, Simus, ac pariter observantissimus, maxime gratum se habere ostendit. Urgebat namque, & quasi iure debitum exigebat, non nisi te unum hac nostra tempestate penè esse superstitem, qui clarissima ex familia ortus, in Amplissimo isto purpuratorum Senatu, heroicis virtutibus, & consilii magnitudine prestans, rebus pro Ecclesia Dei praecclare gestis, Neapolitana hanc nostram Urbem illustras, tibi que iure optimo quacumque debent, qua Neapolitana ingenia, & maxime de re Ecclesiastica, literarum monumentis mandauerint. Accedit in illud etiam quod ex ea familia, qua semper literatos mirifice fovit, nam ut vetustiores tuos maiores praeterea, qui ipsi tamen hoc magnificentissime praestuerunt, dicam tantum eximia beneficia, quibus sum ornatus ab Illustriss. Duce Atria tuo parente, qui me voluit suo sub praesidio, ac tutela esse. Cuius beneficiorum in animo meo altius insedit memoria, cumque ei nequeam his meis ingenii fructibus, licet tenuibus gratias, quas debeo, persolvere, eas nunc tibi tanto Patre dignissimo quas possum immortales ago, persolvoque, oroque ut me in tuam tutelam, qua soles alios benignitate suspicias. Vale.

Illustriss. & Reverendiss. Dominationis tuae.

Humilissimus servus.

Prosper. de Augustino.

